


Stanislaus

Pataszowski Casimiri Stanislai Stabilitas perennantis gloriae, solidae virtuti et meritis D. M. Petri Stan. Luzeński innixa.



STABILITAS
Perennantis Gloriæ,
Solidæ Virtuti & Meritis

Perillustris olim Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini

D.M. PETRI STANISLAI ŁUZENSKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris Ecclesiarum Collegiatarum; S. ANNÆ Præpositi, S. Georgij in Arce Crac: Custodis, Parochialis in Siepraw Curati,



I N N I X A;

Et dum mortales ejus exuviæ Magno Ordinum Academicorum dolore in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ conderentur;

Lugubri Calamô

A

M. CASIMIRO STANISLAO PAŁASZOWSKI, Philosophiæ Doctore, Regio & Tyliciano Eloquentiæ Professore, Collega Majore, Ecclesiæ S. Annæ Canonico,

DELINEATA.

Annô Domini 1728. Die 2. Martij.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

STABILITAS
Perennantis Gloriæ Solidæ Virtuti & Meritis INNIXA.

Dædali & Myrones
Vestris desinite insudare operibus,
quæ omnia
inevitabilis fatorum ictus
citiùs ruinat, quàm assurgunt.
Leve folium de Paradisi arbore
falx Libitinæ ubi præcidit,
protinus nullis parcit
Artis & naturæ structuris.
Fluctibus sunt operta,
quæ procul à maris conspectu erant.
Vastavit ignis colles, per quos elucebat.
Aristæ fluctuant, ubi Pergama stabant.
Statuæ, Pyramides, Obelisci,
si suis prostant in fragmentis,
ostendunt mæroris signum;
quòd gravem non evitaverint lapsum.
Rhodij Colossi
Solis quidem retinent nomen,
Sed pridem æquati Solo,
nec amplius fumigant
qui orienti animabantur luce.

Theba-

Thæbarum mænibus
ſuffecit ad interitum ruinarum ſonus,
quos Amphionis Cythara ſtruxit.
Nimirum
ſtabile in Orbe nihil,
Occidit, quod ſurgit.
Breve abripit momentum,
Quidquid lenta tulit materies ſinu.
Veſper veſpere truditur;
Nobiſq; taciti diffugiunt dies.
Miſeros Mortales!
Reparant ſuum interitum lunæ.
Conſurgunt aliquando in meliùs,
quæ graviter ceciderunt.
Ipſa injuria ſæpe facit
majori fortunæ locum.
Sola hominum conditio
dum conditur ſolo, ampliùs non aſſurgit;
Immo veriùs loquar.
Cadunt nunquam mortales,
quos Virtus & Sapientia obfirmat.
Non utiq; edaci tempore
læditur integritas probitatis.
Vireſcentes Doctorum Laureæ,
non igneo Fatorum fulmine feriuntur.
Stant ipſis ruinis & caſibus firmantur.
Hoc Tua docta & ſolida probatur Virtute

 Per Illu-

Perillustris olim Clarissime & Admodùm Reverende Domine,

D. M. PETRE STANISLAE ŁUZENSKI,

Sacræ Theologiæ Doctor & Professor &c.
Cujus, sub lapidem sepulchralem non cadit gloria,
potiùs marmori innixa
Æternante stabilitate gaudet.
Ringuntur sibimet ipsis Fata,
quòd ab eorum umbris, clarior evadas.
Tota Clarissimus vitâ
quòd à casu fortior assurgas,
extra fabulam Antæus novus.
In nomine signoq; fortunato
Gentilitiæ Crucis
Mortalem fueras exorsus vitam;
quam ut immortalem haberes,
magìs factìs gloriosis, quàm annis vixisti,
Illustribus Natalium Cunis
Tuæ virtutis clariorem lucem affudisti.
Animô maturô complexus:
Semper Majorum ceras umbratiles esse,
quas actiones probæ non accendunt.
Arcana Cæli destinatione
Nomina sortitus, rebus Tuis non inania.
PETRUS
immobili acsi conformis petræ
quibusvis in susceptis negotijs,

lauda-

laudabilem constantiam servâsti.

Ad Cathedras

Sacras & Scholasticas,

quòd fueris designatus;

Nomen dedit omen, probavit eventus,

Vt responderes Tanto Principis Apostolorum Nomini.

Animum principem ubiq; prætulisti,

â Viris Principibus semper æstimatus.

Nobilis petra, potiùs adamas fuisti,

Doctoralibus insertus Coronis,

ut pretiosus virtute, ita laboribus inconcussus.

Eruditus Artium liberalium Magister,

Doctor & Professor Philosophus,

Satìs plurimùm in Stoa profecisti

cùm etiam ita mori didiceris,

ut mortem effugeres,

quæ & fugacem persequitur Virum.

Aristotelico-Thomisticum cursum

Herculeo consumasti labore,

repositam gloriæ obtinuisti coronam.

Purpuratum Artistarum Decanum

gemina egisti vice,

& nunquam doctos non geminabas sudores,

ad multiplicem studentium profectum.

Quot labores, tot prælia sustulisti.

Quot Disputationes, tot certamina,

Victor non una palmâ triumphali dignus.

Omnis amara pugna, Tibi dulcis,

Omnes salsi sudores, nectar.

Etiam in otio Tibi ſemper fuit otium operoſum.
Quamobrem magnorum Diſcipulorum
fueras Doctiſſimus Profeſſor.

Aurum equidem metallorum optimum,
niſi ad Lidium lapidem probatur.

Velociſſimo ingeniô
Aderas Gentilitijs à Vandalin MNISCHORVM Pennis,
altiùs ut evolarent in honorum ſublimia,
Spiritu erudito agitabas.
In fragrantiſſimas SZEMBECIORUM Roſas,
Celſiſſimis vernantes honoribus,
Apollineos ſtillabas latices.
WIELOPOLSCIORVM Sonipedem,
cui pro meta ſumma culmina,
cum Pegaſo noviſti ſociare.
Sedulus impalleſcebas libris,
ne ad Purpuram Senatoriam
Poloni erubeſcerent Achilles.
Exinde Omnium dignus favore,
quem tamen Tibi ſingularem præſtarunt,
Famâ & meritis ultra Polonum Orbem
Vocaliſſimæ JORDANORUM Tubæ,
ab illis
Ad Beneficium Siepravienſe provocatus.
Panegyricô Calamô
Celebraſti OGINSCIANAM Domum
Tuis meritis celeberrimus.

Laude

Laude digniſſimus, quòd nolebas laudari,
nec eminere contendebas.
Optimè tibi perſvaſus:
Sat magnam eſſe eminentiam, nolle eminere.
Intra rudem concham unio
pretij æſtimationem non amittit.
Collegium Majus inhabitans
eſſe maluiſti major, non videri.
Quò nihilominus ab ambitu remotior,
eò tibi intimiores non defuêre honores.
Vrgentibus votorũ Vniverſitatis calculis
Præpoſituram Eccleſiæ D. ANNÆ
acceptaſti cum egreſſu de Collegio,
ſed nunquam de affectu Profeſſorum,
aut de Profeſſione Tua.
In Sacra Theologia
Doctorali laurea redimitus
Sanitati Tuæ annis & meritis debilitatæ
in prælegendis lectionibus non parcebas.
Volo Tuam in Superos pietatem innuere,
ſed hæc actibûs ſuîs vocalis.
Aris Divorum admotus,
ita homo tractabas Divina,
ut Te hominem ignorares,
Cæleſtibus myſterijs intentus.
Continuis attenuatus laboribus,

labores non videbaris sentire,
ut esses ad Vineam Christi indefessus Operarius.
Novisti quæ Te concernebat cura,
Vigilantissimum Curatum;
novisti super pauperes intelligere,
Quos Tuis adeò aluisti proventibus,
ut Tuo commodo adimere malueris,
aliorum subveniendo inopiæ.
Accessu facilis, sermone affabilis,
opere benefico gratiosus.
Administratio Sacramentorum
quantæ tibi fuerit curæ & animo?
liquet etiam inde
quòd in Plebanatu ipsam non abhorruisti mortem,
Cracoviæ forsitan adhuc evitandam.
O cæca & Fatua fata!
Novit viam in Cælum
ex quolibet loco ŁVZENIVS.
Post labores Academicos
pluribûs quàm quadraginta Annîs toleratos,
Sub tempus Sacræ Quadragesimæ
è vivis abijt, sed non obijt.
Circa Martij plenilunium
intulit Cælo virtutum plenitudinem,
quam, & Orbis Literarius
nunquam in Decrescenti observabit.
Gloriæ ejus perennantis Stabilitas,
est

est adhuc eò firmior, quò solidiùs
Tuo gratioso innititur favori

Magnifice Perillustris & Reverendissime Domine,

D. M. JOANNES LUKINI,

U. J. DOCTOR & Professor Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICE, Collegiatarum, Vislicinsis & SS. OO. Crac: Primicerie, Sławkoviensis PRÆPOSITE, Contuberniorum Regio-Jagelloniani & Jurisperitorum PROVISOR; Studij Generalis Universitatis Cracoviensis

RECTOR Vigilantissime,

Indefessus cùm sis Orbis Literarij Atlas,
Grande decus columenq; rerum Academicarum,
imminui Stabilitas Gloriæ LUZENIANÆ nequit,
quam singularis Protector obfirmas.
Est jam æternitati conjunctus,
à Te voto non divisus:
Sceptrifera Academi Cruce
Boni Superi Tuos multiplicent successus,
nec illos audeant infelices attingere casus.
Assurgit è tumulo & totus in Te recumbit,
qui vivus Tuo reponebatur in corde:

C *Peril-*

Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine.

D. M. GASPAR TOPINSKI,

U. J. Doctor & Professor, Ecclesiarum Collegiatarum SS. OO. Custos, Parochialis S. NICOLAI Præposite,

Tristis piè Defuncti non est obitus,
quem Vesołoviensis Præpositus exhilaras.
Imò tantò magìs ab umbris vindicas,
quãtò lucidiùs in Orbe Academico meritîs clarescis.
Regium Tuum Nomen verentur fata,
nec & audent insultare jacenti;
Latet hîc etiam sub cinere ignis,
& è mortali silice in Te amoris & votorum erumpunt flammæ:
Vive diu superstes, habeasq; *faciles ad Tua vota Deos.*
Negavit illi vitam propè octogenarium senium,
quod tamen ut immortaliter protraheret,
Tibi Scholæ D. ANNÆ
Seniori Dignissimo adhæsit.
Excell: ac Doctissime Domine

D. M. ANDREA KOŁENDOWICZ

Philosophiæ Doctor & Professor.
Bene suam Gentilitiam Crucem
Tuæ

Tuæ Andreanæ conjungendam censuit,
ut à nocivis fatorum impetibus
longè securior esset.
Patrem emeritum filiali prosequebaris reverentia,
è vivis aliter noluit abire,
nisi in Te suum relinqueret affectum.
Iam æternam adeptus pacem,
Tibi Viro Togato in Orbe Literario
ut militent honores, precatur.
Eundem in Te continuat affectum

Admodùm Reverende Domine

CASIMIRE
KLARYCKI,

Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Zacristiane,
Manus illi fueras dextra,
ideo quidquid pro ornamento Domûs DEI gessit,
nunquam videbatur sinistrum.
Amas utiq; & Tu sponsæ Christi decorem,
quòd gratiosæ ANNÆ & JOANNIS CANTIJ
pro Viribus Tuis promoveas honorem.
Ad devotionem facilè alios excitas,
qui dies ac noctes vel in Templo vel ad Templum peragis,
quasi semper Altaribus adesse velles
victima grata DEO.
Quod muneri vestro incumbit

quod obligatio aut affectus ſvadet,
agite Præſtites pientiſſimi,
Patrem doleatis,
ſed quæ ad ſolatium ejus gloriæ ſpectant, perficite.
Eſt veſter dolor in totam Univeſitatem diviſus,
non diminutus.
Omnes cruciantur mærore,
Quotquot ſceptriferā referūtur ad Crucē.
Lenimen doloris maximum eſt,
quòd ad portum felicem
Vtinam propitiò rerum omnium Motore
perſiſtat ejus perennantis gloriæ ſtabilitas.





Illud in omni humana statu est utile quod in dolore sanitatem in tristitia letitiam ac in necessitatibus utilitatem emolumentum adfert. sed [illegible] hoc omnibus [illegible]

